

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Schuckmann Johannes Heidemann

Disputatio Theologica De Spiritu Sancto

Rostochi[i]: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738069442>

Druck Freier  Zugang



Kart.: J. Heidemann

H. Schuckmann
R. U. theol. 1646.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn738069442/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738069442/phys_0002)

DFG

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
**SPIRITU
SANCTO,**

Quam

Ejusdem Spiritus ductu & gratiâ,
*Cum Consensu venerab. Facultatis Theolog. in
Universitate Rostochiensi.*

PRÆSIDE

HERMANNO SCHUCKMANNO
SS. Th.D. & Prof. Publico,

JOHANNES HEIDEMAN,
Hildesiâ Brunsvicensis.

Aut. & Resp.

Publico Examini subjecit

Ad diem 23. Maij in Auditorio Majori,
horis antemeridianis.



ROSTOCHI,

Literis NICOLAI KILL, Academia Typographi,

ANNO M. DC. XLVI.

1646

СПІРІЯ О ГІАС

Елікіт Спірія о Гіас
Санкт-Петербург, видає А. П. Костомаровъ
Міжнародна книжка

Ex
Бібліотека
Академії
Ростовенської
Медіцини
Іоанні
Хімічної
Академії

Любомирській
Бібліотекі
Любомирській
Бібліотекі

Любомирській
Бібліотекі
Любомирській
Бібліотекі

**DISPUTATIO DE SANCTISSIMA
TRINITATIS PERSONA TERTIA,
SPIRITU SANCTO.**

THESES 1.

Misterium incarnationis filii DEI, & Sacro-Sanctæ Trinitatis summa religionis Christianæ mysteria esse, & apud nos extra controversiæ aleam positum est, & ne ipse Diabolus quidem ea convellere potest; quippe qui ita & tot modis in illa haec tenus arietavit, ut non tam admiratione, quam summa erga D E U M T. O. M. gratiarum actione dignum sit, quod in hunc usq; diem in ecclesia catholica stent inconcussa atq; immorta.

2. De Trinitatis mysterio, & sigillatim de tercia in Trinitate personâ pia antiquitas hisce temporibus in Ecclesiis pariter & Scholis publicè agi voluit; nec nos salutari huic instituto, quantum imbecillitas nostra permitter, deerimus, sed tempori inservientes, & catholicæ ecclesiæ vestigiis insistentes, hac vice doctrinam de Spiritu S. quæ in totius individuæ Trinitatis considerationem nos adducit, breviter cum D E O exhibebimus.

3. Vocabulum Spiritus / ut de vocis acceptione certi aliquid in anteceduum definiatur) venit in S. S. *primo* in genere pro natura seu vi agitante, vel agendi Principio, ut Ezech. i. v. 20. Spiritus vitæ erat in rotis. *Secondo* denotat ventos, ut Psalm ii. v. 6. Spiritus procellarum. *Tertio* significat vox Spiritus ipsam vitam seu animam hominis; ut emisit Spiritum Matth. 27. v. 50. *Quarto* Angelos Heb. i. v. 14. Angeli sunt administratori Spiritus, & Psalm 104. v. 4. Qui facit angelos suos Spiritus. *Quinto* est nomen toti divinitati commune Joh. 4. v. 24. D E U S est Spiritus. *Sexto* est nomen peculiare & proprium tertiae divinitatis personæ & sic ut plurimarum penes se habet epitheta vel voces additas, ut cum dicitur; Sp: S. Spiritus Domini, D E I, Christi. Nos

priores & omnes alias significationes missas facimus , saltē postremam & ultimam, quæ hujus loci est, impræsentiarum attendimus.

4. Acturi ergo de tertia Trinitatis personâ, ne nullo ordine progre-di videamur, in tria eaq; potissima capita , quicquid pro ratione præsen-tis instituti & virium tenuitate tractare licebit, dispescemus. *Primum* de-monstrabimus Spiritum S. esse personam verè subsistentem. *Secundum* Personam hanc à reliquis in D E O personis certo charactere hypo-statico distinctam esse. *Tertium* & ultimo hanc verè subsistentem & di-stinctam à cæteris personam esse summum verum DEUM, Patri & Filio ὁμοόγονον.

5. Persona quod sit Spiritus Sanctus ut probatum demus, nosse oportet, quid sit persona , & in quo natura vel ratio personæ consistat; hæc autem explicanda est per definitionem , quæ si plenè Spiritui S. ac-commodari poterit, habebimus quod volumus. Persona ergo, quæ Græcis οὐσία & pro usu ab Ecclesia recepio υπόστασις vocatur; ita definitur breviter ; Persona est rationali naturæ individua ac incommu-nicabilis substantia. Vel plenius hoc modo : Persona est substantia intel-ligens, individua, incommunicabilis, nec pars alterius, nec in alio, vel ab alio sustentata. Anima enim nostra rationalis etsi est natura in-dividua & intelligens substantia , nemo tamen illam facile pers-onam dixerit : cum sit pars alterius, cuius est informare corpus nostrum. Sic humana in Christo natura, quamquam est intelligens & individua substantia ; quia tamen sustentatur in alio vel ab alio, nec unquam ha-buit distinctam subsistentiam extra filium DEI, nec propriâ aliquâ sed una eademq; τῇ λόγῳ υπόστασις subsistit , personæ rationem non habet, sequeretur aliæ duas in Christo personas esse, quod falsum.

6. Tota jam personæ definitio , quæ data est, Spiritui S. qui est tertia in Sacro-Sancta Trinitate persona, verè competit, proinde & defi-nitum ei convenire necesse est. Dicitur enim Spiritus S. in S. S. cognoscere, loqui, docere, arguere, annunciare, testari, præficere rectores, do-ctores, curatores ecclesiæ, facere quæ vult &c. (locis huc adducendis immorati opus non est, quæ & in scriptura passim occurunt, & quo-rum nonnulla quoq; postea à nobis adducentur.) Jam orationia hæca-liundè proficiisci non poterunt,nisi à persona verè subsistente, individuâ, incommunicabili, intellectum, voluntatem & facultatem operandi ha-bentes.

7. Acce-

7. Accedimus ad unum vel alterum scripturæ testimonium, ex Veneri pariter & N. T. producendum. V. T. dicta, quanquam Trinitatem & distinctas in Trinitate personas non usq; adeo evidenter sicut N. T. ostendere videntur: prætereunda tamen non sunt, præsertim cum V. T. novi fundamentum sit. Genes. i. v. 2. legitur de Spiritu Dei: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Hæc verba, etiamsi ab his & illis alio & alio modo sunt explicata, rectissimè & intelligi & explicari dicimus de Spiritu S. ceu tertia in Trinitate persona. Voluit enim Deus statim ab initio in ipsa creatione extare revelationem Trinitatis; in qua aliud est qui dixit; aliud verbum domini, aliud Spiritus Dei, qui incubuit aquis, sicut aquila incubat nido suo. Quod ipsum vel vento elementari, qui nec dum fuit, vel nudæ alicui virtuti perperam tribuitur. Quemadmodum ergo is qui dicit; fiat lux &c. persona est, & verbum domini, quod alibi probatur, persona est; sic & Spiritus Dei, qui fertur super aquas, sit persona oportet. Et hæc tres personæ introducuntur ceu unicum principium vel causa creationis solitaria. Sic Esaïæ 63. v. 4. dicitur Spiritus domini direxisse, gubernasse, duxisse populum Dei per desertum, sicut homo dicit, gubernat, dirigit equum vel aliud quodcumq; jumentum. Sic apud Joëlem ipse Deus ait: effundam Spiritum meum super omnem carnem. Qui Spiritus describitur ut causa mirabilium operum, qualia sunt vaticinari, visiones cernere, &c. Complementum ejus est in Actis cap. 2.

8. Illustriora & evidentera sunt N. T. testimonia, & inter hæc præcipua i Joh. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. Johan. 14. v. 26. Paracletus autem ille, qui est Spiritus S., quem Spirit. mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Item, Matth. 3. v. 16. Ecce aperti sunt cæli, & vidit (Johannes) Spiritum Dei descendente tanquam columbam & venientem super ipsum. (Christum.) Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo beneplacitum habui. Hæc insignis patrefactio satis apertè & evidenter demonstrat, non tantum in Trinitate tres distinctas personas Patrem Filium & Spiritum S. sed & eundem Spiritum verè subsistentem personam esse. Nos soli, ut dicitur, lucem non præferemus.

9. Faceant omnes, qui soli nebulas offundere, veritatem in mendacio detinere, & Spiritum S. verè subsistentem personam negare non erubescunt. In horum grege fuerunt olim Sabellius, Noétiani, Samo-

fate-

A 3

satenus, Praxeas, Servetus & alii plures, ex quibus omnibus primum, ferè locum sibi vendicat Praxeas, qui circa annum Christi 200 docuit, unam tantum esse personam divinitatis, sed alio atq; alio respectu nunc patrem, nunc filium, nunc Spiritum S. dici. Cujus blasphemam hæresim Tertullianus refutavit.

10. Secundum, quod nobis probandum incumbit, est, personam hanc divinitatis tertiam realiter & verè ab aliis in Sacro sancta Trinitate personis certo charactere hypostatico esse distinctam. Hoc antequam demonstremus, observandum, quod in S. S. personæ Trinitatis distinguuntur: Primo internis proprietatibus, quæ alias nominantur relationes, characteres hypostatici, opera ad intra, &c. Et hæc sunt, quando in S. S. de Deo patre dicitur, quod gignat filium imaginem sui, de filio, quod gignatur à patre & de Spiritu S. quod à patre & filio procedat. Jam si inter patrem gignentem & filium genitum & Spiritum S. ab utroque procedentem vera debet esse relatio, erit & vera inter has personas distinctio. Impossibile enim est, eam personam quæ gignens est, esse etiam genitam, & eam quæ spirans est, esse eam quæ per spirationem procedit. Nam qui habet esse ab alio, revera distinguitur ab eo à quo esse habet. Quoniam igitur filius D E I est à patre per generationem, & Spiritus S. ab utroq; à patre & filio per processionem, necesse est distingui à patre filium, & ab utroq; Spiritum S. Ut Clarissimus Calixtus doctè demonstrat Epit. Theolog. pag. 77.

II. Secundo distinguuntur personæ divinitatis inter se operibus extrinsecis sumptis à patefactione divinâ & præcipuis erga ecclesiam beneficiis. Ut quando patri creatio & conservatio, Filio humani generis redemptio, Spiritui S. illuminatio & Sanctificatio ob peculiarem quandam revelationem tribuitur. Ubi notandum Opera Trinitatis ad extra esse indivisa, servato tamen ordine, & cujusq; personæ proprietate.

12. Producimus clara aliquot & perspicua dicta, in quibus hæ tres personæ divinitatis inter se distinctæ exhibentur. Matth. 28. v. 19. dicitur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Hic sanè quemadmodum tres distinctæ personæ nominantur, sic revera distinctæ intelliguntur. Ita 2. ad Corinth. c. ultimo vi. ult. Apostolus inquit Ιχαεις τῷ κυρίῳ ἵνος χειστή, καὶ η ἀγάπη τῷ Θεῷ, καὶ η κοινωνία τῷ ἄγιῳ πνευματῳ μέτα πάντων

Et Joh. 14. v. 16. Christus inquit: Ego rogabo patrem ut alium paracletum vobis mittat. Jam si alius non esset pater qui rogatur, alius filius qui rogat, alius paracletus super quo rogat, diceretur id, quod revera non est. Illud autem asserere velle de veritate ipsa blasphemia est.

13. Differunt vero personæ Trinitatis non essentiâ ut in creaturis, ubi quælibet suum proprium esse habent, quo discernuntur: nec tantum hic est distincio rationis, ut voluit Sabellius. Sed realiter & verè distinguuntur, modo tamen nobis incomprehensibili & incognito, secundum quem pater non est filius, nec filius est pater, nec Spiritus S. pater & filius, & tamen pater filius & Spiritus S. est unus verus D E U S unitate perfectissimâ, quâ tota essentia divina est in patre, tota in filio, tota in Spiritu S. & sicut filius communicatam habet essentiam divinam à patre per æternam generationem, ita Sp. S. eandem essentiam divinam communicatam habet à patre & filio per æternam processionem ineffabili & eminentissimo modo, de quo non minus recte quam eleganter loquitur Athanasius Dial. 1. de Trinitate. Quomodo inquit gignat filium D E U S, & quomodo Spiritum mittat, curiose non per vestigo, sed credo filium genitum ἀπόντως καὶ ἀπαρθῶς & spiritum similiter procedere ἀπόντως καὶ ἀπαρθῶς.

14. Fit autem processio Spiritus S. non à patre solo, sed à patre & filio simul. Ita enim Christus Joh. 15. v. 26. mittat vobis Spiritum à patre qui à patre procedit. Nec quicquam nos turbat acerbum certamen quod fuit inter Græcos & Latinam ecclesiam, primamq; originem ex primatu traxisse videtur. Græci dicunt, Spiritum S. à Patre tantum procedere, non autem à filio, sed ab eo mitti. Latini contrà tam à Patre quam à filio procedere Spiritum S. contendunt. Idq; rectissime.

15. Nam Spiritus S. expressè dicitur Spiritus Christi Rom. 8. v. 9. Spiritus filii ad Gal. 4. v. 6. & præterea in confessio est, quod Spiritus S. sit verus D E U S, & ejusdem essentiæ cum filio, non potest ergo mitti à filio (ut cum Joh. 16. v. 7. Christus dicit se missurum paracletum) per imperium sicut à majore, neq; per consilium ut à prudentiore: Mittitur itaq; per essentiæ communicationem sive processionem ab æterno.

16. Hæreses, quibus hæresiarcha Diabolus per Noëtianos, Sabellium,

lum, & alios hypostasin Spiritus S. & characterem personalem impe-
tere conatur, in universum omnes illis scripturæ testimoniis quæ hacte-
nus de actionibus personalibus, deq; reali personarum Sacro S. Trini-
tatis subsistentia à nobis allegata sunt, solidè convelluntur.

17. Ad tertium & ultimum caput nempe ad divinitatem S. Spi-
ritus demonstrandam plurima suppetunt argumenta, quorum principa-
liora tantum adducemus. Primum locum obtinent dicta V. T. quibus
absolutè & simpliciter dominus vel DEUS appellatur. Sic 2. Sam. 23.
v. 2. Spiritus domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam
meam: Dixit DEUS Israel, mihi locutus est fortis Israel. Et alibi pas-
sim. Sic Esa. 6. v. 9. dixit dominus: vade & dic populo huic, audite audi-
entes, & nolite intelligere, & videte visionem & nolite cognoscere,
excœca cor populi hujus & aures ejus agrava: Id quod Spiritum S.
dixisse Paulus testis est Act. ultimo v. 26. benè Spiritus S. locutus est
per Esiam Prophetam ad pàtres nostros dicens: Vade ad populum
istum, & dic: aure auditis & non intelligetis, & videntes videbitis &
non percipietis: incrassatum enim est cor populi hujus &c. Breviter,
quicquid Prophetæ V. T. in principio prophetiarum suarum Deum & do-
minum Israëlis locutum esse testantur, id 2. Petri 1. v. ultimo de Spiritu S.
exponit; non enim voluntate humana, inquit, allata est aliquando
prophætia, sed aucti à Spiritu Dei, locuti sunt Sancti Dei homines.

18. Secundo idem expresse dicitur Deus in N. T. Act. 5. v. 3. Ana-
nia, cur implevit Sathanas cor tuum, ut mentireris Spiritui S. non es
mentitus hominibus, sed Deo. Et 1. Cor. 3. v. 16. An nescitis, vos esse
templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? Si quis templum Dei
violat, hunc perdet Deus.

19. Tertio adscribuntur ei attributa divina 1. Immensitas, & omni-
præsentia Psal. 139. v. 7. Quo ibo à Spiritu tuo, aut quo à facie tua fu-
giam, si scandam cœlos, illic es, si stratum ponam in inferno, ecce ades.
2. Omnisscientia 1. Cor. 2. v. 10. Spiritus omnia scrutatur (cognoscit)
etiam profunditates Dei. Et rursus: ea quæ sunt Dei nemo novit, nisi
Spiritus Dei, per quem & nos novimus quæ donata nobis sunt à Deo
3. Majestas secundum quam non tantum in nomen Dei patris & filii,
sed etiam Spiritus S. baptizamur, ut ex institutione baptismi notum
est.

20. Quar-

20. Quarto tribuuntur ei opera divina, quale i. est Creatio Psal. 33.
v. 6. Verbo domini cceli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Job 33. v. 4. Spiritus Dei fecit me, & afflatus omnipotentis indidit mihi vitam. 2. Facultatem miracula edendi aliis largiri i. Cor. 12. v. 8. huic quidem per spiritum datur sermo scientiae, alteri vero fides per eundem spiritum, alii donum sanationum per eundem spiritum, alii vero operatio virtutum &c. sed omnia haec agit unus ille & idem spiritus distribuens seorsim illa singulis, scienti vult. 3. Justificatio hominum i. Cor. 6. v. 11. Haec eratis quondam, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. 4. gubernatio ecclesiae; siquidem non prout minister aliquis sed rector & praeses ejus illam gubernat Actor. 10. v. 19. Petro cogitante de visione dixit ei spiritus, ecce tres viri querunt te: surgens itaque descendere, & nihil ad dubitans proficisci cum eis: nam ego eos misi. Et cap. 13. v. 2. Illis autem ministerium suum obeuntibus domino & jejunantibus, dixit spiritus S. separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi. Idem dicitur Act. 20. v. 28. Attendite gregi in quo spiritus S. vos constituit Episcopos.

21. Haec sunt fundamenta catholicae orthodoxyae, quibus innixi centum quinquaginta Episcopi Constantinoli in Synodo Oecumenica à Theodosio M. circa Annum Christi 583. congregati Symbolum Nicenum confirmarunt, τριηματικός damnarunt, & unam eandemque; non modo patris & filii, sed & spiritus S. divinitatem professi sunt.

22. Divinitatem hanc impugnarunt Eudoxus, Eunomius & multi alii sectati Macedonium, qui generali vocabulo appellati sunt Pneumatomachi, fingentes spiritum S. esse quidem praestantiorum angelicis virtutibus, sed non DEUM vel dominum. Illi quoque aperte ex praedictis convincuntur, qui dixerunt, se neutrum velle afferere, an sit DEUS, vel creatura, cum scriptura neutrum manifeste dictaret. Et notandum est, sicut in loco de filio Samosatenus negavit, filium esse personam, & postea Arius videns hoc commentum consistere non posse, concessit esse personam, sed negavit illam personam esse natura DEUM: Eodem plane modo Macedonius negavit spiritum S. esse personam: Alii postea convicti manifestis scripturarum testimoniorum conces-

serunt esse personam, sed detraxerunt illi divinitatem, & noluerunt esse
όμοστον patri & filio, sed minorem.

23. Ad refutationem horum omnipium adhibeantur illa argumenta-
ta, quæ supra pro divinitate Spiritus S. allata sunt.

24. Clausulam & finem impono huic exercitationi verbis Magni
Augustini, quibus ille ultimo ultimi libri de Trinitate capiti initium de-
dit: Domine D E U S noster credimus in te patrem & filium & Spir-
itum S. Neq; enim diceret veritas: Ite baptizare omnes gentes in nomi-
ne Patris & Filii & Spiritus S. nisi Trinitas esses. Nec baptizari nos ju-
beres, Domine D E U S, in nomine ejus qui non est dominus D E U S.
neq; diceretur voce divina: Audi Israel, Dominus D E U S tuus D E U S
unus est, nisi Trinitas ita esses, ut unus dominus D E U S esses. Et si tu
D E U S pater ipse esses, & filius verbum tuum, Jesus Christus ipse
esses, & donum vestrum Spiritus S., non legeremus in literis veritatis:
Misit D E U S filium suum; Nectu, O unigenite, dices de spiritu San-
cto: quem mittet pater in nomine meo, & quem ego mittam vobis
à patre.

D E O P A T R I & F I L I O D O M I N O
N O S T R O J E S U C H R I S T O C u m S. S P I R I T U
G L O R I A & i m p e r i u m i n s e c u l a s e c u l o r u m ,
A M E N.

6 (o) 6

In Disp. de SPIRITU SANCTO

Quem calamus scripsit, quem Lingua mode-
sta loquetur,
Sit vitæ duxtor, sit sacra norma tuæ.

*Ita rovet Dn. Respondentii
PRÆSES*

Sic est: Tu doctè, ductore, hem, **FLAMINE**
SANCTO,

De Sancto dicens Flamine, dulce caput.

Sic est: Cui sancti sunt Flatus munera cordi
Hujus Cor vires Flaminis hujus habet.

Grator Nectarum cæptum. Tu nitere Sanctè
Præceptore sacro **FLAMINE.** Doctus eris

*In gratiam amicissimi sui popularis
festin. adjecit*

Zacharias Bruno,
Lunæburg.

Rectè, quòd vires præclaris artibus auges
Heidmannè! unde tuæ non infima gloria famæ
Audit, virtutisq; viam, quæ spirat odorem
Fœtentem minimè, satagit constanter amare.

perge

Perge sequi quò Te prædulcia Biblia ducunt;
Sic non errabis: sic itur ad edita sacræ
Munia doctrinæ; sic patria tota favebit.
Prospera sint magnis præmissa Exordia cæptis

Sic Coupictori & Amico suo
gratulatur

Matthias Meineke Curo- Livonus.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn738069442/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738069442/phys_0015)

DFG





In Disp. de SPIRITU

Quem calamus scripsit, q
sta loque
Sit vitæ ductor, sit sacra i


Ita

Sic est: Tu doctè, ductore, b
S A N C T O
De Sancto dicens Flami
Sic est: Cui sancti sunt Flatus &
Hujus Cor vires Flaminis
Grator Nectarum cœptum. T
Præceptore sacro FL A M

In gratiam am

Za

R Ectè, quòd vires præclaris ar
Heidmannè! unde tuæ non
Audit, virtutisq; viam, quæ spir a
Fœtentem minimè, satagit const



ETO

ua mode

bondenti

ES

MINE

aput.

di

t.

ctè

octus cris

ularis

Bruno,

rg.

a famæ

perge